







Freiherr v. Ende-Alteßnitz.



21. 19  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JURE ALIE-  
NANDI,

Quam  
DEO feliciter adfistente  
Consensu Magnifici Jctorum Ordinis  
IN ILLUSTRISALANA,  
PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo*  
DN.

JOHAN. VOLK. Bechman /

J. U. D. Excellentissimo & Prof. Publ.  
Extraordinario meritissimo atque  
Celeberrimo,

*Dn. Patrono, Promotore atque Praeceptore sup  
atatem devenerando*

Publico examini exhibet

JOHANNES KNAUER, NUMBURGO  
THUR. AUTOR.

*Ad diem Maji.*

H. L. Q. C.

---

JENÆ

*Literis Caspari Freyschmidii, Anno M. DC LIX.*



DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
IURE ALLE-  
NANDI

DEO ALEXANDRO  
Consensu Magistrorum omnium Ordinum  
in Universitate Saxonica

Viro Nobilissimo, Antiquissimo & Consularissimo

JOHANNI VOLKE SCHULMAN

J. U. D. Excellentissimo de Reg. Palat.

Electoralibus in Palatinatu Saxonico

in Curia Electorali Saxonica

JOHANNES KNABER, NIMBURGO

THUR. AUCTOR

---

1712







## JEHOVA BENIGNE SECUNDANTE!

### I.

**A**ccipitur vox Alienatio in jure multiplici modo, quatenus nimirum denotat omnem actum, quod fit ut dominium sive verum sive fictum à priori Domino recedat, sive illud fiat per Domini translationem, manumissionem, usufructus donationem, hypothecam, pignoris constitutionem, servitutum impositionem, juxta *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* sive per transactionem, permutationem & donationem *l. 4. C. pred. min.* per ultimam voluntatem *l. 8. §. 2. C. de secund. nupt.* per usucapionem, & servitutum per non usum amissionem *l. 28. de V. S. pro derelictis habendo*, dum nostræ esse desinunt, & statim occupantis fiunt *l. 1. ff. pro derelicto §. 47. Inst. de R. D.* Per Emphyteuseos ac feudi constitutionem, quia usufructus illarum rerum & jus possessionis in accipientem ejusque heredes transit &c.; Imò omne illud vocamus alienationem, quo quid ex unius patrimonio in alterius patrimonium transfertur, ut illud minuatur, hoc angeatur, sive res sit, seu possessio, seu aliud jus. Originem verò alienatio ex distinctione dominiorum traxit, quæ juris gentium esse patet ex *l. 5. ff. de J. & J.*

### II.

Nominali ita definitione Alienationis expositâ, addenda jam est ejusdem definitio realis. Definatur autem, quod sit omnis actus, per quem dominium transfertur *l. 1. C. de fundo dot.* Hæc definitio, cum verbum domini diversimodo accipiatur, diversas pariter admittit explicationes. Aut enim intelligitur dominium strictè & propriè ita dictum, quod tantum habemus in rebus corporalibus, & quod

A

sejun-



sejunctum ab eo, quod habemus in incorporalibus, quod  
improprie & quasi dominium. *Schn ad §. 11. Insti: de R. D. &*  
*Dn. Hahn in observ. tit. ej. ad. n. 4.* Et ita strictè acceptò vocab.  
Dominii loquitur hæc definitio tantum de alienatione, quã  
rem corporalem transferimus in alium. Unde nonnulli  
hanc alienationem strictam appellant, quemadmodum i-  
psum dominium, strictum: aut etiam latè intelligitur  
dominium ut sub se comprehendat quasi dominium,  
seu quodcunque jus in re. Et hanc acceptionem retinemus.  
Ac proinde eam *Dn. Hahn* supplet & dicit: Alienatio est a-  
ctus, quò Dominium seu aliud jus in re transfertur *observ.*  
*ad Wesenb. ad tit. de rebus eorum qui sub tut. n. 4.* Sequitur nunc  
divisio, quam nonnulli quò in ordine & *Simoncellus*, qua-  
druplicem faciunt: (1.) propriissimam, ut in venditione,  
donatione &c: (2.) propriam, ut quando utile dominium  
transfertur, v. g. feudum. Emphyteusis (3.) impropriam,  
quando sine dominio solus ususfructus transfertur (4.) im-  
propriissimam, quando solum jus pignoris transfertur. Ve-  
rùm hanc divisionem rectè rejicit *Dn. Hahn d. l.* Et expe-  
ditius *Myns.* duplicem eam dicit, propriam videlicet seu  
strictam, & impropriam seu latiore *comm. ad rubr. hujus tit.*  
posteriori modò continet omnem actionem, quã Dominium  
& jus rei in alium transfertur: priori verò solum dominii  
translationem seu amissionem intelligit.

### III.

Cùm verò certum sit, commercia inter gentes, & ita  
alienationes naturaliter debere esse liberas, & qui easd. im-  
pedit, contra jus naturæ agere. Videndum est, quomodo  
hæc libertas ex jure restringi possit. Et quidem ejusmodi re-  
rum, quibus cives ipsi indigent, alienatio impediri potest  
in alias, intellige, gentes, si verò talis indigentia desit, utiq;  
commercium cum iis exerceant. Sic & ingratis benefici-  
um inferre nequaquam tenemur. Pari sanè ratione & nemo  
alienigenis Barbaris, cujuscunque gentis, loricas, scuta,  
arcus, sagittas, gladios, vel alterius cujuscunque generis  
arma audeat venundare, sub pœna capitali & confiscatione  
honorum. l. 1. 2. C. qua res export. non deb.

IV. In



28

In relatione specierum restringendi facultatem alienandi, primo loco haut inconcinnè ponimus eam, quæ fit à Magistratu, per interdictionem alienationis, & dicitur inhibitio, interdictum, & locum habet, si ordinaria juris remedia, alienationem impediunt aut non adfunt, aut si res quidem alienari prohibita, sed alienatio nondum facta sit sed metuitur saltem, aut, quamvis res alienari sit licita, verùm alienatio fiat in alicujus forsan tertii præjudicium, qui postea justam conquerendi causam habet. Et fit hæc prohibitio alienationis præsertim ex causa necessitatis & imminentis propter moram periculi. Locum autem hoc remediū maximè obtinet in actionibus ad certas res consequendas personalibus, secus in realibus, quippè statim per citationem vitium litigiosi inducitur. Hujus inhibitionis præcipuus effectus est, quò impediatur translatio *l. 6. ff. de V. O. l. 26. ff. de contrab. emt.* nontamen dominum ipsum dominio suo privat. Et multum differt ab aliis remediis extraordinariis, quibus aliàs creditoribus periclitantibus subvenitur, qualia sunt arrestum & sequestrum. Quæritur, si reus sit solvendo nec de fuga suspectus, an præter interdictionem arrestum ei sit imponendum? Resp. quod non, sed Judex contentus debet esse interdictionis remedio, si verò metus subsit illum non esse solvendo, propter concurrentes plures creditores, tunc arresti remedium arripiat, oportet. Et si de fuga est suspectus debitor, ad sequestrum perveniendum est.

V.

Deinde alia prohibitio fit à privati voluntate ultimâ vel conventionem inter vivos. Priori modo, si testator prohibet alienationem prædii cujusdam, quia illud fortè à Majoribus accepit, vel quod ex eo possint alimenta posteris præstari, vel ad alium finem; & tunc erit testatoris voluntas servanda. Semper enim, *inquit Imperator, Nov. 48.* hanc unam habemus intentionem, dispositiones morientium esse firmas, nisi resultent legi, & apertè contrariæ sint iis, quæ illi placent. Conventionem inter vivos prohibitio non obtinet,

A 2

nisi



nisi fiat cum probabili quâdam causâ. Nullus enim liber homo cogi potest alterius gratia quid facere, & multò minus cogitur ad præstandum, quod sibi obest, & alteri prodest: & nulla obligatio de jure consistere potest absque causa. Alienationis prohibitio à privato extra ultimam voluntatem facta, translationem domini non impedit. Sed si contra pactum res alienetur, datur donatori vel ejus heredi condictio ob causam l. 3. C. de condict. ob caus. Contrariam sententiam nonnulli DD. defendere satagunt, & dicunt, alienationem contra pactum factam omninò invalidam & plauè nullam esse l. f. C. de reb. alien. non alien. Verum respondemus, quòd lex hæc tantùm loquitur de eo, quid nam interdictâ alienatione interdictum censeatur, non verò qualem effectum qualibet alienationis interdictio inferat.

VI.

Cum alienatio actus sit, qui inter homines instituendus, opus omninò est prudentia, ut ea rectè perficiatur, & quidem talis prudentia, quæ sufficit ad commodum proprium & civilia negotia rectè gerenda. Ejusmodi verò homines haut incongruè in tres dividi possunt ordines, quoniam quoad prudentiam inæquales existunt, ita, ut alii nulla, alii imperfecta, alii verò perfecta prudentia instructi reperiantur. Hæc divisio convenit cum illa, quæ traditur princ. Inst. de tut. ubi personæ quædam sunt sub tutela, quædam sub cura, quædam sub nullius jurisdictione. Primo sub membro continentur Infantes, qui illi sunt vid. l. 18. C. de jure delib. mirum, qui nondum attigerunt annum octavum, furiosi, mente capti, vel qui aliò morbo rectam rationem impediens laborant. Intelligitur autem furiosus hic talis, qui continuo furore agitatur §. 1. Inst. de inutilib. stip. Qui enim habet dilucida intervalla, cessante furore rectè de rebus suis disponit. Potest enim dum sapit, hereditatem adire, & omnia alia exercere, quæ aliàs sanis hominibus competunt l. 6. C. de curat. fur. Prodigum hisce annumerari certum est, quemadmodum sæpissimè in jure furioso æquiparatur l. 40. de R. J. §. 2. Inst. quib. non est permis. fac. test. Et prodigus furioso comparatur



comparatur in bonis saltim alienandis, non verò acquirēdis,  
ut videre est ex l. 6. ff. de V. O.

VII.

Ordine secundo comprehenduntur ii, qui prudentiā  
quidem aliquam sed imperfectiorem sunt præditi, & subdivi-  
duntur, quòd alii tales sint naturā, alii verò per accidens,  
puta per aliquod impedimentum extrinsecus interveniens.  
Naturā tales sunt, pupilli, h. e. pubescentes, seu ad puber-  
tatem accedentes & minores, qui usque ad annum 25. comple-  
tum pro talibus habentur. Tertio adjungendi ii, qui qui-  
dem perfecta prudentiā sunt instructi, adeoque ad actus civi-  
les exercendos satis apti: at verò ne in detrimentum & per-  
niciem aliorum fiat, meritò eis à legibus omnimoda alienan-  
di libertas interdicitur. Primos quod attinet, nempe pu-  
pillos, de illis ait Imperator Justin. quòd meliorem condi-  
tionem liceat eis facere, sine Tutoris autoritate, deteriore-  
verò non aliter, quàm cum ejus autoritate. Unde & in his  
causis ex quibus obligationes mutue nascuntur, ut in emti-  
onibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, man-  
datis depositis, si Tutoris autoritas non intervenerit, lapsi  
excusantur *Instit. prin. de A. T.* Quæ tamen sententia in ipso §.  
*sequ.* i. suam habet restrictionem, quòd pupillus sine auto-  
ritate Tutoris hereditatem adire non debeat, ubi verò di-  
stinguendum videtur esse inter hereditatem damnosam &  
lucrosam seu opulentam: Et tamen Imperator contrariam  
hic determinat, nimirum quòd non possit eam adire, etiamsi  
sit lucrosa sine autoritate Tutoris. Ratio est, quia here-  
ditate obligatur, sed pupillus sine autoritate Tutoris obli-  
gari non potest. Et heres adeundo hereditatem fit obnoxio-  
sus omnibus creditoribus, ita ut non confecto inventario,  
etiam ultra vires hereditarias teneatur, *vid. Sabn. ad tit. de A.*  
*T.* Et hæc alienationis prohibitio extenditur, ut pupillus  
accipiens solutionem debiti absque Tutoris autoritate, non  
videatur obligationem solvisse, seu alienasse, nec debitor eā  
solutus. Aliquando verò debitor pupillo solvens liberatur,  
non quidem ipso jure, sed ope exceptionis (1.) si nummi ad-

A. 3.

huc.



huc salvi sunt *l. 15. ff. de solut.* (2.) si perierit res ante litem contestationem & (3.) si necessariam rem emit, quam necessario de suo erat emturus, & hoc ipso, quo non est pauperior factus, locupletior intelligitur *l. 47. ff. de solut. §. 1.* Alias & plures causas vid. in *l. 66. & l. 11. ff. h. t.*

VIII.

Sequitur jam potestas alienandi minorum, circa quos *l. 3. C. de in integr. rest. min. dist.* quòd aut curatorem habeant, aut non habeant. Et inviti adolescentes curatores non accipiunt, præterquam in litem §. 2. *Inst. de curat.* Si curatores non habent, rectè contrahunt, & dominium rerum transferunt. Habent tamen beneficium restitutionis, si nimirum ex tali contractu graviter lædantur. Curatores verò habentes, absque eorum consensu alienare non possunt *l. 3. C. de in integr. rest.* Tutores debent in actibus minorum auctoritatem suam interponere: Curatores verò consensum. Illi necessario in ipsis negotiis debent auctores fieri. Excipe tamen (1.) Si ipse Tutor cum pupillo negotium tractet (2.) si negotium à solo quidem pupillo, sed coràm & præsentè tutore gestum, hicque statim interveniat & illud approbet (3.) Si Tutor, quod se absente pupillus gessit, mox interveniens, & de omnibus circumstantiis edoctus approbet (4.) Si Tutor præsens auctoritatem suam interponit negotio futuro, cui certum modum & limites præscripsit. *Dn. Habn ad Wesenb. de aut. & consensu tut. n. 5. verb. in ipso negotio.* Opponitur *l. 9. §. 5. d. 1.* ubi dicitur, quòd post tempus interposita Tutoris auctoritas nihil agat, quod ipsum tamen tertio huic nostro requisito valdè contrariari videtur. Resp. non intelligendum est longum tempus, sed quòd fiat statim perfecto negotio. Curatores vel in ipso negotio vel post consentire possunt. Quamvis pupillus sit Dominus rerum suarum, tamen eas sine auctoritate Tutoris alienare non potest §. 2. *Inst. quib. alien. lic. vel non.* non obstante regula *l. 21. C. mandati*, ubi dicitur, quòd quilibet sit rerum suarum moderator & arbiter. Nam hoc introductum est, propter facilitatem pupillaris ætatis, seu pupilli imbecillitatem & consilii inopiam



inopiam: cum constet, inter eos fragile esse & infirmum  
hujusmodi ætatum consilium & multis captionibus suppo-  
situm, multorumque insidiis expositum *l. 1. ff. de min.* Et  
nec minor qui veniam ætatis impetravit alienare potest abs-  
que decreto, quod multo magis procedit in eo, qui ve-  
niam non impetravit. Habetur quidem *princ. Inst.*  
*de A. T.* quod pupillus non obligetur, ut in præceden-  
tibus dixi, scilicet civiliter qui sine Tutoris autoritate contrahit,  
nihilominus tamen naturaliter obligatur, quamvis etiam  
locupletior factus non sit. Si enim locupletior factus esset  
pupillus, non naturaliter tantum, sed & naturaliter & civili-  
ter obligaretur *l. 3. §. 4. ff. de negot. gest. l. 5. ff. de A. T.* Sequitur,  
quod si locupletior factus sit naturaliter tantum obligetur *l.*  
*1. §. 1. ff. de Nova:* ubi ex æquitate & naturali ratione pupil-  
lus obligatur promittendo pecuniam quam mutuò accepit,  
& in rem suam convertit, & novandi causa, expromittendo  
pro eo, cui tantam summam debet, quia & rem suam auxit,  
*ut ait Cujacius ad l. 27. ff. de V. O. & l. 1. in fin. ff. de Novat.* No-  
vatur obligatio, si pupillus sine autoritate tutoris promise-  
rit, idque idè, quia naturaliter tenet ejus obligatio; at qui  
naturaliter non tenetur, si locupletior factus est, ergo prior  
obligatio novatur, & pupillus non locupletior factus obli-  
gatur naturaliter tantum, quippè & obligatio ejus nulla di-  
citur *§. 3. Inst. quib. mod. toll. oblig.* nim. quoad effectum juris,  
quia pupillus sine Tutoris autoritate non potest novare, ita-  
ut civilis contra eum detur actio, nisi locupletior factus sit  
*l. 20. §. 1. ff. de novat.* Opponitur *l. 59. ff. de O. & A.* ubi pupillus  
sine autoritate tutoris contrahens, ne naturaliter quidem  
obligetur. Resp. obligatur naturaliter si res spectetur. In-  
re enim obligatio est ex ejus consensu, quàm secundum natu-  
ram rei gestæ, non minus tenetur ipse, quàm ejus accessio-  
nes: non obligatur naturaliter, quatenus nim. ejus persona  
inspicitur, quia in illa obligatio est sine effectu, non quasi  
obligatio verè non subsit, sed propter beneficium personæ  
concessum *l. 29. ff. de condi. indeb.* Quod restitutionem ve-  
rò minorum attinet, de ea Prætor tale edictum præscripsit:  
Quod



Quod cum minore quàm 25. annis natu gestum esse dicetur, uti quæque erit animadvertam *l. 1. §. 1. de min.* Gestum hîc significat omne factum minoris etiam neglectum & hoc fit tripliciter, vel si (1.) minor quædam amittit, quæ acquisita jam habuit, ut donando, vendendo, vel (2.) si amittat, quæ acquirere potuit, ut hereditatem, legatum, vel simile quidpiam repudiando, vel (3.) si onus aliquod suscipit, quod suis rebus damnosum esse possit, v. g. hereditatem adeundo, judicium subeundo &c. *l. 44 ff. de min.* Causæ cognitionem intervenire etiam Prætor ait & respicit circumstantias gesti, quæ duæ sunt (1.) ut minor sit læsus & vel (1.) facilitate propria, vel (2.) dolo adversarii sit læsus. Prior si deest, restitutio deficit. Non verò læsus creditur vel præsumtivè vel verè. Verè vel ex natura rei gesta, si nihil ei absit, sed plus acceperit, & inde locupletior factus sit; vel jure, quando alicujus rei translatio facta, de facto, non de jure. Præsumtivè læsus habetur, (1.) si sponte jusjurandum præstitit corporale (2.) si major factus & gesta in minore ætate rata habeat, vel si pro majore cum mandato egit. Hinc restitutio locum habet (1.) si minor sit lapsus vel captus seu circumscriptus (2.) si Tutor vel Curator interveniat *l. 2. C. si tut. vel curat. interv.* *l. 25. ff. de adm. & peric. tut.* quod procedit non tantum, si minor cum autoritate Curatoris, sed & ipse tutor vel curator solus contraxit & læsus fuit *l. 3. & ult. C. si tut. vel cur.* Quær. si minor sit in dolo num restituatur? Neg. quia dolus ætatem supplet, & non decipientibus sed deceptis Prætor succurrit *l. 9. §. 2. de min. l. 37. d. t.* Sic si ambo contrahentes delinquant, nulli de rigore juris succurrendum esset, quia dolus cum dolo pensaretur. Verùm beneficio ætatis, quia creditur sua facilitate læsus, restituitur.

IX.

Ordine nunc pervenimus ad eos, qui propter vitium morbumve corporis rebus suis superesse non possunt, ut muti, surdi & qui perpetuò morbo laborant, nam & his Curatores dari solent. De quibus personis notandum, quòd ad aliena-



alienationis actum celebrandum concurrere possint. Nam in quibuscunque negotiis sermone opus non est sufficiente consensu, iis etiam surdus intervenire potest, quia potest intelligere & consentire *l. 48. ff. de O. & A.* & in bonis suis non interveniente curatorum consensu testari potest *ut Justin. vult. l. 10. C. qui test. fac. pos.* firmiter tamen non nisi cum curatoris consensu talem actum celebrare potest, quia exemplo minorum curatores habet. Eodem passu ambulant & prodigi. Per prodigos autem intelligimus juridicè tales, ad effectum interdicendæ administrationis bonorum ut nihil agere vel contrahere possint, nequidem etiam pacisci non quidem ob facultatis defectum, sed ob voluntatem & vitium animi. Non obligantur sine consensu Curatorum ne quidem naturaliter, quia, huiusmodi hominum planè nulla voluntas est *l. 40. de R. 7.* & in omni pacto requiruntur duo intellectus sc. & voluntas. Aliquando quidem obligantur, cum conditionem suam faciant meliorem. *Dn. Habn. ad Wesenb. n. 5. de pactis.* Tandem spectabimus illos, qui quidem perfectâ prudentiâ instructi, & ita ad actus civiles exercendos satis superque apti. Verùm ne & ipsi in perniciem forsan aliorum alienationis actum celebrent, certis casibus & his alienandi potestas interdicitur, quales sunt, qui in societate vel paterna vel conjugali vivunt. In societate conjugali vivunt Vir & Uxor, & inter hos Imperator alienationem vult esse prohibitam, hunc præcipuè in finem, ne mutuato amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate *l. 1. ff. de donat. int. vir. & ux.* quod initio moribus quidem est introductum *d. l. postea* verò Antoninus expressè id constituit *l. 3. d. 1.* Et hæc prohibitio unicè & solùm intendit conjugii salutem, non verò emolumentum & utilitatem heredum, quapropter ad sponso non extendenda est *l. 1. ff. eod. l. 27. eod.* expressè dicitur: Inter eos, qui matrimonio coituri sunt, ante nuptias donatio facta iure subsistit, etiamsi eodem die nuptiæ fuerint consecutæ. Quod verò Canonistæ accipiunt de sponsis de futuro. Aliàs enim de jure civili per sponsalia de præsentibus ipsum contrahitur matrimonium, &

B

hi compa-





hi comparantur conjugibus, qui de presenti consenserunt. *Bacchovius* quidem & inter sponfos donationes prohiberi posse statuit, hæc ratione, quia inter illos ferventior adhuc amor esset. Verùm hoc fit præsertim in matrimoniis, ne discutiantur matrimonia & hoc modo sint quasi venalia *l. 2. ff. d. 1.* quæ ratio in sponfis cessat, cum metus desit, ne discutatur matrimonium, quia inter illos nondum est contractum: & si nimius amor esset propria & proxima causa hujus prohibitionis, non solum ad sponfos, sed & ad alios, qui nimio amore ducuntur, & inter se donant, esset extendenda. *De jure Sax.* donatio inter conjuges prohibita, ad sponsum & sponsam extendenda non est, imò illa donatio ante nuptias, si conjuges sibi invicem ante nuptias quid donent, v. g. catenas, armillas, annulos &c. omnino subsistit. Valet & illa donatio *Jure Sax.* quam Sponfus nobilis Sponsæ post concubitum manè solenni nuptiarum die facit, dum ei catenam auream donat, quam donationem vulgò vocant *Morgengabe* *Const. Elect. part. 2. const. 13. ibiq; Carpx.* Contrarium autem servatur si donatio donantem pauperiorem non reddit (1.) si donandi animo sui juris renunciationem faciat uxor, tunc cessat prohibitio *argum. l. 7. ff. de donat.* (2.) si doneatur viro consequendæ dignitatis causa *l. 40. ff. d. 1. l. 41. & 42. d. l.* (3.) si donatio fit ob necessitatem *l. 43. ff. eod.* juxta illud: necessitas non habet legem (4.) si donatio sit remuneratoria & æquivalens *l. 7. §. 2. ff. eod.* Si mortis causa conjuges mutuo donare velint, mulier petere debet à Judice, ut ipsi ad hunc actum curatorem constituat, & tum donatio coram duobus testibus etiam extra judicialiter fieri potest, nisi quingentos aureos ungaricos excedat. Tunc enim vel judicialiter, vel coram quinque testibus facienda erit. Et hæc donatio inter conjuges prohibita non est *l. 9. §. 2. l. 10. ff. de donat. inter vir. & uxor.* quia est revocabilis. Quer. quod si maritus ignobilis, vel senex nobilem vel puellam ducat, poterit ne in compensationem nobilitatis vel juventutis uxori donare? Constante matrimoniò dotique constituta id fieri posse negat *Trentl.* Ad quid enim proficit



proficit nobilitas uxoris marito ignobili, & quæ compensatio vel remuneratio rei donatæ cum juventute, cum nihil aliud portendat ejusmodi donatio, quàm fraudem legis *l. 29. cum seq. ff. de ll.* Et observandum est, remuneratoriam donationem non quamcunque quæcunque præcedentia merita constituere, sed ob quæ vel aliàs in alias personas actio vel retentio quædam competere possit, & ad quod præstandum lege quædam non fiat obstructus *l. 25. ff. de donat. vid. B. Frantz. kius in comm. ad ff. tit. de evictionibus.*

X.

Attingendi nunc sunt illi, qui in societate paterna constituuntur quales sunt Pater & filius. Vocab. *Pater* autem hic non strictè sed latè accipitur, pro omni eo, qui jus habet patriam potestatem exercendi, veluti Avus cum reliquis in linea paterna adscendentibus, quatenus filios in potestate sua habent. Eadem sanè ratione & per *filios* intelligimus eos omnes, qui jure civili in patria potestate habentur & quidem tales erunt, qui jure aliquo modo consentire possunt *l. 8. §. 3. C. de bon. que lib.* Hi ipsi igitur alienare nullo modo possunt, qui pro una & ead. persona in jure habentur, cum ad hunc actum alienandi celebrandum, duæ ad minimum requirantur personæ. Non verò semper Pater & filius pro eadem personâ æstimantur, sed potissimum ratione administrationis bonorum, vel castrensiùm vel peculii; duæ censentur *l. 7. C. qui bon. ced.* Aliud verò est ratione bonorum Patris, tum pro una persona habentur, & licet filius horum bonorum Dominus appelletur, tamen nihil quicquam ex illis alienare ipsi licet, nisi fiat cum consensu & voluntate Patris. Et de peculio profectitio nulla inter ipsos fieri potest alienatio, cum ipsius proprietatis & ususfructus penes Patrem sit. Eodem modò se habent bona adventitia, in quibus Pater habet ususfructum *l. 1. C. de bon. mater.* contrarium verò obtinet in bonis castrensiibus & quasi castrensiibus, quoniam filius in illis plenam habet potestatem administrandi. Hinc si filius cum aliis paciscitur, benè rem gerit, sibi que acquirit & inde naturaliter & civiliter obligatur. Filius

B 2

verò



verò cum ipso Patre pacisci nequit, propter obstantem fictionem juris civ. quâ pro unâ persona habentur & pactum est duorum pluriumve in idem placitum consensus *l. 1. §. 2. ff. de pact.* Jure verò naturali quin hi invicem obligentur nulli dubitamus. Excipiuntur tamen jure civ. (1.) pacta Patris & filii puberis de bonis castrensibus & quasi castrensibus (2.) pactio de illis advēitiis in quib9 filio familias plenâ habet proprietatem *l. pen. C. de bon. qua. lib.* Objiciunt multi, quòd quemadmodum filius prohibetur facere testamentum, eundem in modum & pacisci. Verum resp. id ideò fieri quia testamentum est juris publici, verùm contrahere seu pacisci juris privati. Addatur quòd & Parentes liberis suis inter vivos donare arceantur *l. 25. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Verùm lex hæc solùm de Patre loquitur, ne unus ex filiis legitimâ priveretur, secùs verò est in donatione mortis causa filio, quoniam hæc Patri concessa est. Pater insuper in proprio patrimonio habet alienandi seu donandi potestatem liberam, si modo non ita fiat alienatio, ut filios hereditate futurâ priveret. It. si bona sua ultra legitimæ portionem filiis debitam donet. Aliàs enim possunt cæteri liberi donationem hanc, tanquam inofficiosam revocare, ad similitudinem querelæ testamenti inofficiosi *l. 2. C. de inoff. donat.* Oponitur, quòd jus querelæ inofficiosi testamenti sic comparatum sit, ut qui egit & obtinuit rescissò testamento, non Falcidiam duntaxat, sed universalem hereditatem consequatur, si forte solus sit, aut si alius æquè proximus adsit, eam saltem portionem, quæ ab intestato eum contingit *l. 19. ff. de inoff. test.* Ergo idem in querela inofficiosa donationis obtinere debet, ut pro ea parte rescindatur, quam ab intestato haberet is, in cujus fraudem facta est, si donatio facta non esset? Respond. in multis utramque querelam comparari, in multis rursus differre *vid. passim ut. C. de inoff. test.* Præcipua hæc est differentia, quòd is qui querelam inofficiosi testamenti proponit, totum testamentum cujusdam impietatis incuset, cum constet illud pro parte valere & pro parte non valere, non possit *§. 5. Inst. de hered. inst.* In donatione verò longè aliter se res habet. Ea enim ut contractus  
inter



inter vivos nullo remorante facile pro parte corrumpere potest.  
Quod ius ratione querelæ inofficiosa donationis Filiis com-  
petit, idem sanè & Patri contra filii inconcessam donatio-  
nem l. 4. C. de inoff. donat.

XI.

Prohibita insuper est alienatio omnium bono-  
rum, tam præsentium quam futurorum, quia per eam li-  
bera testandi aufertur facultas. Licet enim non impedia-  
tur testamenti factio, quantum ad ipsum actum testandi,  
impeditur tamen quoad effectum, cum nihil habeat, de  
quo testari possit, & nullum heredem sit habiturus, quia  
heres ex testamento institutus nihil consequitur; & hæc do-  
natio dicitur esse contra bonos mores. Procedit tamen,  
quando quis simpliciter donat omnia bona, præsentia & fu-  
tura, quia tunc comprehenduntur res incorporales, actio-  
nes, jura & nomina debitorum. Secus si quis donat omnia  
bona mobilia & immobilia præsentia & futura, quo casu  
jura & actiones seu nomina debitorum non compren-  
duntur. *Schn. ad Instit. de donat. int. vir & uxor.* Quær: an  
cedens omnia bona possit postea alteri in præjudicium do-  
natarii cedere jus aliquod, forsan redimendi certum prædi-  
um, vel ipse actiones directas exercere. Si enim omnia bo-  
na donata sunt, jura non comprehenduntur, cum bonorum  
nomine non contineantur, sed tertiam quasi, ut ita dicam,  
speciem constituent. Resp. distingu: inter jura realia, vel ju-  
ra rebus adhærentia, & inter jura personalia, quod illa bono-  
rum cum donatione rectè alienentur, hæc autem non etiam,  
quia carni & ossibus donantis adhærent. Peculiari igitur  
cessione opus erit, ad personalia jura transferenda, jus in-  
incorporalibus est loco traditionis. Et verius *inquit Dn.*  
*Hahn*, quòd donari possit non solum pars bonorum sed &  
bona universa, modo ratio donationis inofficiosa non ob-  
stiterit in qua tamen donatione non veniunt nomina debi-  
torum, seu jura & actiones, nec mutat, quod ita auferatur  
facultas testandi: Nam. (1.) id fit per consequentiam,  
quemadmodum & aliàs per arrogationem & ingressum mo-  
nasterii



naſterii ( 2. ) ſub bonis non comprehenduntur nomina, & ſuperelt ita aliquid, de quo poſſit teſtari. Et hoc adeò verum eſt, ut ejuſmodi donatio inter vivos facta, poſtmodum teſtamento revocari non poſſit. In foro verò contrarium obſervatur, & donatio omnium bonorum præſertim futurorum non valet, niſi donator quadam bona, de quibus poſſit teſtari ſibi reſervarit. Et videtur teſtator, *pergit Dn. Hahn*, ſibi aliquid reſervaffe, quando in donatione hæc tria conjunctim non comprehendit, jura & actiones, bona mobilia & immobilia, bona præſentia & futura. Statuunt alii, donationem omnium bonorum valere, ſi ſecundùm leges fiat, rationem addunt, quòd quilibet ſit rerum ſuarum moderator & arbiter *l. 21. C. mandati vel cont.* & argumentum ſupra dictum, quòd nimirum donator nihil habeat de quo poſſit teſtari, invalidum dicunt quia in arbitrio cujuſlibet ſit teſtari velle & nolle: & cum omnia bona alteri donaret, videretur teſtamentum facere non velle. Dicunt inſuper, quod & bona propria non præciſe requirantur ad teſtamenti factionem, quia, quamvis quis nihil habeat proprii, tamen teſtari poſſit, videlicet de rebus alienis, commodatis puta &c. Pariter & donationem conſtare negant, ſi nim. ſit inofficioſa, ut ſi forte eſſet facta in fraudem creditorum. His contradicentes allegant *l. 5. C. de inoff. donat.* ubi expreſſe omnium bonorum donatio proponitur, & quidem valida: ex accidenti verò natis filiis vel nepotibus, quarta ſaltem reſcinditur quibus non natis, non reſcinditur *vid. l. 35. §. 4. C. de donat.* Alii aliam amplectuntur ſententiam. Rectius donatio omnium bonorum mortis cauſa valet. Simples enim donationes inter conjuges tantùm ſunt prohibita *vid. tot. tit. de donat. int. vir. & ux.* non etiam ea, quæ propter cauſam aliquam fiunt *l. 14. d. 1. l. 9. §. f. d. 1.* quia in id tempus excurrit eventus ejus, qui vir & uxor eſſe deſi- nunt. Clarus quidem exiſtimat, nec mortis cauſa donationem inter conjuges valere, ſed perperam, nec obſtat ſententia *l. 53. princ. d. 1.* In ea enim propterea donatio mortis cauſa à ſocero in generum vel nurum collata non valet, quia



quia mortuo socero nuptiæ non solvuntur, quæ ratio ex ad-  
verso donationem mortis causa inter conjuges utilem &  
efficacem reddit, cum eorum morte conjugium dissolvi  
plusquam expeditum sit *vid. Trent. volum. 2. D. 19. th. 4. lit. B.*  
*ibiq; Bacchov. De Jure Sax.* omnium bonorum donatio id cir-  
co non valet, quia adimit liberam testandi facultatem, li-  
cèt nihil prohibeat eum quoq; testari posse, qui nihil in bo-  
nis habet; attamen qui nec habet, nec quicquam habere  
potest, qualis est ille, qui futura donavit, ei sanè testandi fa-  
cultas competere nequit *Constit. Elect. 12. p. 2. def. 26. ibiq;*  
*Carpz.* Aliud verò obtinet in donatione illa, ubi testator  
quædam bona, de quibus testari aut pro arbitrio disponere  
possit, sibi reservaverit. *Carpz. d. l. Schn. §. 2. n. 94. Inst.*  
*de donat.*

XII.

Jam videndum de iis, qui ejusd. rei domini consorti-  
um accipiunt, & quid inter illos de alienandi potestate  
expressè sit actum. Exercetur verò societas vel universalis  
vel particularis. Universalis dicitur (1.) quæ simpliciter  
est omnium bonorum *l. 1. §. 1. ff. pro soc.* quæ aliàs societas om-  
nium fortunarum dicitur *l. 73. princ. & §. 1. d. t.* (2.) quæ  
est inter coheredes *l. 3. §. 2. d. t.* & respectu prioris pro  
particulari habetur (3.) societas simpliciter contracta, h. e.  
nullâ rerum factâ designatione, quæ itid. pro universali ha-  
betur *l. 7. ff. d. t.* Particularis quæ vel alicujus negotiationis,  
puta: vini, frumenti, lanæ *l. 5. d. t.* sive etiam unius rei, nim.  
equi vendendi causa fit. Et qui ejusmodi societatem iniit  
fit Dominus pro parte sua indivisa, in universali etiam abs-  
que traditione. Licet enim specialis traditio non interve-  
nerit, tacita tamè seu ficta creditur intervenisse *l. 2. d. t.* Un-  
de & potestatem sibi sumit rem suam alienandi & transigen-  
di de ea cum extraneo *l. 68. d. t.* verùm pro parte tantum,  
plus illâ non potest *l. 63. d. t.* Quær. an societas omnium  
bonorum tacitè contrahi possit. *Neg. Trent. Disp. 27. th. 8.*  
*lit. F. ibiq; Bacchov.* Verior tamen videtur affirmativa ar-  
gum. *l. 4. d. t.* ubi societas re iniiri dicitur id est tacitè *l. 95.*  
*de*



*de acquir. vel amitt. hered. l. 2. C. de pactis.* Non obstat, quod *Bachov.* re contrahi conferat ad eum modum, quo rebus & verbis simul societas contrahitur. Contrarium enim patet, quia re contrahere nihil aliud est, quam tacite & ipso facto consensum declarare. Deinde non obstant *l. 8. & l. 9. d. t.* ubi societate simpliciter & facite contracta, hereditates, legata, donationes non communicantur, quæ tamen omnia in societate universali communicari constat ex *l. 3. d. t.* Verum societas tacite contracta perperam confunditur cum societate simpliciter contracta. Societas enim vel est generalis vel specialis, illa iterum vel simpliciter contrahitur nulla rerum designatione facta & censentur ea tantum in societatem deducta, quæ ex quaestua veniunt *d. l. 7. & 8.* Vel nominatim bonorum omnium, in qua veniunt omnia, quæ ex quacunque causa sociorum sunt, ut legata, hereditas. Quær. an filius cujusd. contrahentis societatem, sumtus ad studia à duobus an ab uno poscere possit? Resp. quod ambo solvere simul teneantur *l. 73. ff. pro soc.* præsertim si inter eos sit ita conventum *d. l. Jure Sax.* quicquid expenditur de bonis communibus occasione societatis vel communionis, non inmerito communioni imputari debet, quia ut lucrum, ita & damnum in societate est communicandum omnibus. Aliæ verò impensæ communioni non imputabuntur, quam quæ ipsius causa sunt factæ *Constit. Elect. 15. p. 3. ibique Carpz.*

### XIII.

Prohibitam alienationem ratione personarum excipit interdictio alienationum ratione rerum. In limine verò statim se offerunt nobis res, quæ in privatorum quidem sunt dominio, tamen quoad actum alienationis ex eod. exemptæ, ut sunt res dotales. Primò verò omnium hîc quæritur: An maritus sit dominus dotis? *DD.* licet pauci dominium penes maritum pro parte esse affirmant *argum. l. 9. §. 1. ff. de jure dot. l. 75. eod. princ. Inst. quib. alien. lic. vel non.* & consistere hoc dominium (1.) in fructuum perceptione *l. 7. ff. de jure dot.* Cùm enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est eum



eum etiam fructus percipere ( & natura jubet, commoda cu-  
jusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda l. 10. de  
R. J. ) tam naturales l. 10. ff. de jure dot. l. 7. §. 12. cum seq. & l.  
3. ff. solut. matrim. quam civiles, ut pensiones prædiorum d. l.  
7. ( 2. ) maritus habet directam libertatem servum dotalem  
manumittendi modò solvendo sit l. 3. C. de jur. dot. l. 24. §. 4.  
ff. solut. matrim. l. 61. l. 62. eod. Quod verò maritus sit domi-  
nus in solidum negant, quia & uxor pro parte est domina  
dotis l. 75. ff. de jure dot. cum eadem res ab initio fuerint u-  
xoris, & naturaliter in ejus permanserint dominio l. 30. C. d.  
t. Unde & commoda ad uxorem pertinent, quæ non sunt  
in fructu, ut & periculum dotis. l. 10. ff. d. t. & l. 62. ff. solut.  
matr. & l. 24. eod. legitur, quòd mulier possit servos dotales  
manumissionis causà marito donare. Alii distinguunt in-  
ter res, quoniam in aliquibus rebus solus maritus habet  
Dominium, quales sunt res æstimatæ l. 10. l. 12. princ. ff. de jure  
dot. l. 10. C. eod. l. un. §. 9. C. de rei ux. act. ut res quæ ponde-  
re, numerò & mensura constant v. g. argentum, nummi, vinum,  
frumentum. quia ad hoc dantur, ut eas maritus ad arbitri-  
um suum distrahat. In aliis verò rebus naturale dominium  
apud uxorem ejusve patrem esse, secundùm legum autem  
subtilitatem dominium apud maritum manere l. 30. de jur. dot.  
Dn. Habn. esse. ad hunc tit. n. 7. ait. maritum constante ma-  
trimonio non tantùm dominum utilitaris esse, sed & verum  
dominum, quia dominium rerum dotalium verè acquisivit,  
quia habet jus possidendi utèdi, fruendi vindicandi l. 30. C. d. t.  
Hincque maritus dicitur dominus dotis l. 75. ff. l. 23. C. d. t.  
mulier verò vocatur domina, quatenus solutò matrimoniò  
dos certò ad eam est reditura jure ipso, sine retrotraditione  
atque ita ob spem illam certam habetur pro eo, ac si iam de  
præsenti redisset fictione juris translativa vid. Bacchov. ad  
Trentl. 62. Dicendù est igitur, quod & penes maritum & uxo-  
rem sit dominium dotis, sed maritus constante matrimo-  
nio plenam habeat domini exercitium, & mulieris interim  
dormiat. Solutò verò matrimonio exercitium mulieris  
quasi expergiscitur & mariti prorsus aboletur. Unde qui

C

textus





textus in jure nostro maritum dominum constituunt, & ipsi plus in potestate dotis tribuunt quam uxori, intelligendi sunt de durante matrimonio. Qui verò plus juris uxori adscribunt, si vel scilicet matrimonium innuunt, vel etiam maritum proximum ad inopiam vergentem & mulierem de dote periclitantem nobis ob oculos ponunt. *Jur. Sax.* verò maritus dominus dotis non est, sed uxor, maritus verò non solum dotem administrat, sed omnia bona uxoris, iisque constante matrimonio plenè utitur fruitur, ut quilibet alias b. f. possessor de *jure civ. Landk. lib. 1. art. 32.* Et hoc jus utendi fruendi non incipit à sponsalibus, sed simulac ingressus fuit thorum conjugis. Quær. an maritus possit res dotales seu prædium dotale alienare? Intelligimus autem per prædium dotale res omnes soli, seu prædia tam rustica quam urbana l. 1. C. de *fund. dot.* Quod jus *Justin.* ad provinciales etiam fundos & ut plerique existimant ad res etiam mobiles, quæ servando servari possunt produxit *Wesemb. paratit. & l. un. §. 15. C. de rei ux. act.* A qua tamen sententia *Dn. Hahn.* recedit, & extensionem illam planè rejicit, quia lex Julia saltem de fundo & prædio dotali loquitur, quæ tamen nomina nulli rei mobili convenire possunt, non obstat *lege unic. C. d. t.* quia tantum loquitur de extensione ad fundos provinciales. Resp. Ergo, distingv. inter res mobiles & immobiles. Immobiles res, ne quidem consentiente uxore maritus alienare potest, *princ. Inst. quib. alien. lic. vel non l. un. §. 15. C. de rei ux. act. l. un. C. de fundo dot.* quod verò attinet res dotales mobiles, subdistingunt *Dd.* inter res quæ vel tempore pereunt, vel usu consumuntur; veluti: vinum oleum, frumentum, vestimentum: Et inter eas quæ servando servari possunt, ut sunt catenæ, annuli, gemmæ, monilia & reliquæ hujusmodi generis ad ornatum muliebrem pertinentes res. Illæ licitè alienari possunt, de his dubitatur. *Dd.* quidem sentiunt has res alienari posse, si modo uxor post biennium semel atque iterum consenserit. In quorum sententiam & *Trenil. abu disp. 7. th. 9.* Quòd si verò mulier consentiat, num & tunc licita est viro alienatio rerum dotalium? Resp. Neg. *princ.*



*princ. Inst. quib. alien. lic. l. non §. 17. C. de rei ux. act.* Opponitur quod quilibet juri & favori pro se introducto renunciare possit *l. pen. C. de pact.* Resp. mulier hoc casu renunciando favori suo non præjudicat sibi; hocque propter fragilitatem sexus, item propter utilitatem, cum Reipubl. intersit, fœminas esse dotatas, & dotes mulieribus conservari *l. 1. ff. solut. matrim.* Procedit porro hæc prohibitio (1.) ut maritus nec servitutes fundo dotali debitas amittere, nec etiam alias imponere eidem possit *l. 1. 2. ff. de fund. dot.* Nam alienatione prohibita, jus remittendi pariter prohibitum intelligitur *l. ult. C. de reb. alien. non alien. l. 1. §. ff. quæ in fraudem creditor.* (2.) huiusmodi alienatio nec juramento uxoris de jure civ. confirmari potest, quia fit contra prohibitionem legis *l. 5. C. de leg.* (3.) maritus nec rem dotalem mobilem etiam consentiente uxore alienare valet, idque propter fragilitatē sexus, maritorum suasionibus aut minis facile obnoxii & cedentis. *Wesemb. paratit. de fundo dot.* (4.) maritus res dotales alienatas constante matrimonio, contra propria factum vindicare potest *l. un. §. 15. C. de rei ux. act. & alleg. l. 5. C. de ll.* dicitur, quod illa quæ contra legem fiunt pro infectis habeantur. Solutō autem matrimonio, ubi dominium cum effectu revertitur, ipsa mulier res dotales alienatas vindicare potest, non autem constante matrimonio, nisi maritus vergeret ad inopiam *l. 29. C. de jure dot.* Quar. an hæc prohibitio alienationis pertineat etiam ad res mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt? Neg. per *princ. Inst. quib. alien. lic. verb. dotal. prædium* addatur *l. 1. de fundo dot. l. un. §. 15. C. de rei ux. act.* ratio est, quia earum rerum nullus ferè est usus nisi alienando. *Obst. l. 22. C. de adm. Tut.* Resp. consequentiam non valere. Usus enim marito omninò est concedendus.

XIV.

Quod si fœmina consensu mariti extra dotem bona sua mobilia aut immobilia velit alienare, num sit ipsi concessum? Et quamvis plerisque ipsi licere placeat; Verùm quia mulier cum marito contrahit, aut saltem ad ejus utilita-



tem, maritus veluti in propria causa esse Autor non potest  
*l. 1. l. 5. ff. de A. & C. T. §. ult. Inst. eod.* sed mulieri curator est ad-  
jungendus. Cum autem maritus & uxor simul alienent, vir so-  
lus totum contractum fecisse & alienasse intelligitur, quod tum-  
demum ita se habere *Wesembec. ass.* quando nim. de re sua aut  
in matrimonio quaesita maritus & uxor aliquid disponunt.  
*Dn. Hahn. de fundo dot. n. 7.* ita distinguit & dicit, bona esse  
vel paraphernalia vel receptitia, illorum vel dominium  
translatum est ad maritum vel non, juxta *l. 9. §. fin. de jure  
dot.* Receptitia quin alienari possint, sive in maritum seu in  
alium, nullum est dubium *l. 6. C. de revocat. donat.* Para-  
phernalia priori modo mulier alienare nequit, quia domi-  
nium ad maritum transtulit *d. l. 9. §. fin.* posterioris vero ge-  
neris quae sunt, ad alium recte transferuntur, cum consensu  
& autoritate mariti, quia horum est administrator *l. ult. C. de  
pact. convent. tam sup. dot.* Et ipse constante matrimonio res  
dotales non potest alienare, si nim. immobiles intelligimus.  
Imò licet jus illud, quod maritus in praedio dotali habet, sit  
dominium, tamen hoc ita restrictum per *l. Jul.* ut alienari ne-  
queat & dicit *Dn. Hahn. d. l.* quod alienare non sit substantia-  
le dominii, sed tantum ejus accidens. Et posito quod ef-  
fectus regularis dominii sit alienare, tollitur tamen, quo-  
tiescunque id Reipubl. exigit utilitas. *Jure Sax.* alienatio-  
nem consentiente uxore consistere vel inde patet, quod u-  
xor bona sua mobilia solo mariti consensu, non adhibito a-  
lio curatore valide distrahere queat. Curatoris enim offi-  
cio maritus fungitur, quia & uxoris suae tutor fit, post thori  
conjugalis ingressum *Land X. lib. 1. artic. 45.* Omnino ergo  
contractus ab ipso marito de bonis uxoris consensu tamen  
ejus celebratus jure subsistit: at pretium inde redactum non  
lucro mariti cedit, sed ad heredes uxoris pertinet, quia con-  
tractus uxoris in commodum mariti celebratus ipso solo  
autore & curatore respectu ejus non subsistit nec ullum inde  
lucrum marito accedit. *Elect. Const. 23. part. 3. defin. 30. ibiq.  
Carpz.* Lucratur tamen maritus pretium ex alienatione bo-  
norum immobilium uxoris redactum, si peculiaris curator  
aliena-



alienationi fuerit adhibitus, quo adhibito, fraus  
mariti, quæ unquam præsumi potest, purgatur *Carpz.*  
*d. l. de fin. 31. p. 2. const. 15. def. 24.* Parili modo, ut alienatio  
uxori est prohibita, ita & oppignoratio *l. un. §. 15. C. de rei ux.*  
*act.* Et strictius hanc Imperator prohibet, quam fundi  
dotalis alienationem, quia facilius mulier inducitur ad oppi-  
gnorandum, quam ad alienandum, ne fragilitate naturæ suæ  
in repentinam deducatur inopiam *d. l. Quer. an res litigiosæ*  
*alienari possint?* nam & hæc manent in privatorum dominio,  
sed tamen incertum est in cuius dominio verè sint. *Resp. DD.*  
*vulgò ex l. 1. §. fin. ff. quæ res pign. vel hypoth. dat.* & hanc genera-  
lem statuunt regulam: res litigiosæ ut vendi, ita nec pignori  
dari possunt. Verùm lex illa distinguit inter res mobiles &  
immobiles, ut quoad illas obstat litigiosi exceptio non eti-  
am quoad has, rationem immobilibus dicit *Bacchov.* quod  
eæ faciliè corrumpanitur, & cum earum possessio in credito-  
rem transferri soleat, videri possit, creditorem cum debi-  
tore in ejusd. præjudicium colludere, quod in rebus immo-  
bilibus, in quibus nudam securitatem consequitur creditor,  
non ita faciliè contingere potest. Litigiosæ verò res dicun-  
tur, de cuius dominio causa movetur inter possessorem &  
debitorem judiciariâ conventionem, aut precibus Principi  
oblatis & judici insinuatæ & per eum futuro reo cognitæ  
*Nov. 112. c. 1.* Non verò existimandum in omni actione quæ  
res certa petitur rem illâ fieri litigiosam. Sanè quin per acti-  
onem realem, quæ dominium directum vel utile urgetur, res  
efficiatur litigiosa, minus dubium est, sicut & ipsa actio rea-  
lis in iudicium deducta litigio afficitur. Sed enim nec non  
personalis actio ipsa per litem contestationem in iudicium  
deducta *l. 2. C. de litig.* Alia verò est ratio rei quæ petitur, per  
actionem personalem, puta si emptor agat ex emto, ad con-  
sequendam rem venditam, quæ nunquam efficitur litigiosa  
per actionem personalem, juxta sententiam *DD. Conf. Elect.*  
*part. 1. Const. 32. de fin. 22. ibiq; Carpz.*

XV.

Sunt deinde res, quæ in privatorum quidem dominio

C 3

non





non sunt, usus tamen earum est publicus, nimirum res sacræ.  
Et non multum differunt ab invicem res sacræ & publicæ  
*Novell. 7. c. 2. vers. utique cum nec multum differant &c.* Usus au-  
tem harum rerum est duplex vel sacer, vel profanus. Hic est  
rerum publicarum sanctarum, civitatum, universitatum.  
Ille est rerum sacrarum seu ad cultum divinū destinatarum:  
De his est in *l. 14. C. de SS. Eccles.* quod alienari nullo possint  
modo *l. 6. ff. de contrab. emt. l. 83. §. 5. ff. de V. O. §. 8. Inst. de  
R. D.* Extenditur hæc prohibitio alienationis rerum sacra-  
rum, quæ non possint ad usumfructum dari *l. 24. §. 1. C. de  
SS. Eccles. add. l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Et omnis alie-  
natio rerum ecclesiasticarum, monasteriorum, hospitalium  
& aliorum locorum piorum, quocunque titulo seu donati-  
onis seu venditionis, seu permutatiōis fiat, regulariter de  
jure est prohibita, ita ut nec alienari, nec obligari neque  
oppignorari possint *l. 21. C. de SS. Eccles.* & hoc procedit tam  
in rebus mobilibus, ut vasis, vestimentis, quàm immobili-  
bus, fundis, prædiis urbanis & rusticis. Imò diruto ædifi-  
cio templi vel monasterii locus adhuc sacer manet, ut alie-  
nari nequeat *§. 8. Inst. de R. D.* Quær, num Princeps pote-  
statem habeat de rebus Ecclesiæ disponendi? Neg. Di-  
citur enim quod ad Imperatores palatia pertineant, ad sa-  
cerdotes Ecclesiæ. Unde Ecclesiæ, Monasteria & alia loca  
pia & eorundem bona sunt exempta ab omni potestate & ju-  
risdictione dominorum secularium, quacunque fulgeant  
dignitate, & Episcopi, Clerici & Canonici bona quæ sita ex  
rebus Ecclesiæ, non transmittunt ad suos heredes, sed ea  
Ecclesiæ applicantur. Excipitur tamen, quod alienatio sit  
concessa harum rerum Ecclesiasticarū, si necessitas urget, in  
redemptione sc. captivorum. Tunc enim & venditionem  
denominatarum rerum & hypothecam & pignorationes fi-  
eri conceditur. Quoniam non absurdum est animas homi-  
num quibuscunque vasis & vestimentis præferri *l. 21. C. de SS.  
Eccles. Novell. 120. c. 10.* Ut igitur harum rerum alienatio  
procedat, requiritur (1.) iusta causa, si nim. utilior & fructu-  
osior res comparetur *Constit. Elect. 8. p. 3. def. 33. ibiq. Carpz. (2.)*  
causæ



causæ illius cognitio (3.) consensus superioris) (4.) instru-  
mentum publicum (5.) subscriptio consentientium. Gau-  
det etiam Ecclesia beneficio restitutionis in integrum, si so-  
lennia quidem adhibita sunt, ea verò in ipso contractu læsa  
sit, quia Ecclesia privilegiis minorum gaudet. Juxta sen-  
tentiam aliorum, distinguuntur inter alienationem perpe-  
tuam & temporalem, ut est locatio ad 6. vel 9. annos sola  
Abbatis autoritas, vel Prælati, vel etiam alterius administra-  
toris sufficit. Prædictæ solennitates pariter requiruntur,  
quando ejusmodi res Ecclesiæ alienantur, quæ servando ser-  
vari possunt, secus in rebus, quæ servando servari nequeunt,  
ut sunt fructus percepti ex fundis Ecclesiasticis. Hæ enim  
res sine istis solennitatibus alienari possunt. Res nunc quæ  
in patrimonio totius civitatis sunt, & quarum usus quidem  
est publicus, sed profanus, sunt bona civitatis. Et distin-  
guunt DD. quod illa bona vel perpetuo usui publico desti-  
nata sunt, ut forum, curia, vel consistant in pecunia publica,  
seu communi, ut & in prædiis, agris, pascuis, stagnis mo-  
tis, piscinis &c. in his procedit alienatio, in illis verò non  
*vid. l. 137. §. 16. ff. de V. O. De jure Sax. requiritur in alienatio-  
ne bonorum civitatis decretum & aliæ solennitates Const. 13.  
p. 1. def. 7. n. 4. Carpz.* Quær, num in principis arbitrio po-  
situm sit, subditos & ditiones suas in alium dominum alie-  
nare? Et sciendum prius earum rerum, quæ sub Imperio  
Principis sunt, quatuor esse genera (1.) res ipsius  
Principis, quæ in Patrimonio suo sunt, unde & res patrimo-  
niales vocantur *l. ult. §. pen. C. de fund. pat.* (2.) res fisci, quæ  
non tam in Principis, quàm in Principatus patrimonio sunt,  
eique ad suam dignitatem tuendam, quasi ususfructus no-  
mine attribuantur, quæ ex causa patrimonium fisci nomi-  
natur *l. 2. §. 2. ff. ne quid in loc. publ.* (3.) res publicæ, quæ in  
populi patrimonio sunt *l. 14. ff. de A. R. D. l. 17. de V. S. l. 1. de  
R. D.* quales sunt, quæ usui publico sunt destinatæ & in quas  
Populus R. imperium habere dicitur *l. 3. ne quid in loc. publ.*  
Et publica generaliter appellantur seu populi seu civitatum  
*l. 16. de V. S.* (4.) res privatæ seu singulorum, quæ in cujus-  
vis



vis patrimonio esse dicuntur *l. i. ff. de R. D.* Jam igitur respond. quantum ad Principis patrimonium attinet, dubium non est, quin id alienari liceat, iussu & arbitrato Principis. Idem quoque juris habet Princeps in rebus fiscalibus, cum res fiscales quasi privatae & propriae Principis dicantur *l. 2. §. 2. ff. ne quid in loc. publ. l. ult. C. de quarr. praeser.* Quantum autem ad publicas res attinet, harum rerum summum iudicium pariter penes Imperatorem fuisse constat ex *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. l. 1. ff. de servit.* Restant nunc res privatae, de quibus dubitatur propter *legem 11. ff. de Evict.* ubi privati hominis praedia Imperatoris iussu alienata proponuntur. Quo ex argumento *DD.* concludunt Principem in bonis privatorum alienandis summam potestatem habere, sed absurde, quia textus non loquitur de agris, qui proprietatis jure in civium R. patrimonio sunt, sed de praediis, quae in Germania trans Rhenum bello quaesita fuerant & non proprietatis, sed tantum possessionis jure fruendi concedebantur *vid. l. 15. de V. S.* Oppon. quod Regis sint omnia? Resp. utique sunt ejus non ut singula sed ut universa. Nam regnum universè considerato est Regis, at per singulas partes, est singulorum. Videmus insuper & Principi & Populo vendi, donari, legari posse, cum tamen, quod cuiusque est, iterum eius fieri non possit. Atque ita ratione Imperii sunt tantum Principis, ratione verò possessionis & proprietatis sunt privatorum.

XVI.

Jam dispiciamus quid jure feudali in alienatione obtineat. Et Quer. an feudum possit à Vasallo in hypothecam dari? Neg. quia generaliter prohibita alienatione, prohibita quoque censetur hypothecae constitutio *l. fin C. de reb. alien. non alien. (2.)* res aliena oppignorari non potest *l. 9. C. si alien. res pign. dat. l. 6. C. quae res pign. oblig. post.* feudum autem est res aliena, siquidem proprietatis, quae nobilior est usufructu, pertinet ad dominum. Sed contrariam opinionem veriorum existimat *Dn. Arumans*, dum aliud esse obligationem, aliud alienationem praetendit. Obligat enim Vasallus, non alienat per hypothecam feudum. Et quod alias hypo-



hypothecæ constitutio pro alienatione habetur, ut principio diximus, fit legis interpretatione, quæ non recipitur iis in casibus, quibus alienationis & traditionis conjunctio requiritur. Et si *l. fin. (de reb. alien. non alien. sententia procederet in feudis, servitutis impositio pro alienatione esset, quàm tamen in sui præjudicium feudo imponit Vasallus (2.) quod dicitur rem alienam non posse alienari. Resp. hoc procedit in re planè aliena. At feudum est Vasalli, non quidem ratione domini proprietatis, sed ratione domini ususfructus c. un. in fin. in quib. caus. feud. amitt. Verùm ut valeat in hypothecam feudi datio, requiritur (1.) consensus agnatorum. Hi enim jus quæsitum habent, ex pacto & providentia primi adquirentis c. 1. §. 1. de feud. March. vel Ducat. Ergo Vasallus illis non potest præjudicare, nec feudum sine eorum consensu oppignorare alteri. Deinde omnis dispositio de feudo, ejusque alienatio est Vasallo prohibita, ergo etiam oppignoratio. Hypothecam enim sequitur distractio rei, ergo hæc prohibita, etiam hypothecæ constitutio censetur interdicta *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Feudum etiam non est de facultatibus Vasalli, sed utile duntaxat ejus dominium donec Vasallus vivit; Ergo ipse illud alteri non potest obligare (2.) in feudi oppignoratione requiritur consensus domini feudi. Hic enim in eo directum dominium retinet, ergo in ejus præjudicium & sine ejus consensu feudum nec in totum nec pro parte hypothecari potest, *vid. Dn. Carpz. c. 46. part. 2. def. 9. (3.)* consensus domini feudi requiritur, si quis hypothecam in feudo cum consensu domini impetratam, alteri cedere, vel pignori dare velit, quod & locum habet, licet priori creditori potestas data fuerit, pignus alienandi in quemcunque voluerit, nisi in consensu hæc potestas expressis verbis reperita & approbata fuerit. Est enim consensus domini strictissimi juris, qui ad certam causam, tempus vel personam limitatus vel restrictus, ulterius extendi non debet. *Carpz. Const. 23. part. 2. def. 8.* Quær. An sub alienatione etiam comprehendatur ususfructus? Negantes proponunt, quod Vasallus feudo servi-*

D tutem



autem imponere possit, usufructus autem est servitus. Et quod de servitute dicitur, quoque ad usufructum extenditur, quia est ejus species. Et vasallus est instar fructuarii. Fructuarius autem non solum alii in usufructum dare, sed jus suum in re constitutum alii vendere, locare vel oppignorare potest §. 1. *Inst. de usu & hab.* Contraria tamen & magis vera sententia est, quod usufructus alienationis nomine veniat, quia in *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* usufructus dicitur alienatio. Et quod dicitur Vasallum posse feudo servitutes imponere, id procedit respectu servitutum realium non personalium, quia quotiescunque vocab. servitutis ponitur simpliciter, toties pro reali sumendum est *l. 44. ff. Locati.* Et usufructus non imponitur proprie feudo, sed feudum in usufructum datur. Deinde quod Vasallus æquiparetur fructuario, hoc in loco non est admittendum. Nec enim quicquam usufructuarius domino usufructus, sicuti Vasallus domino proprietatis servitia, præstat, ut cessante ita ratione prohibita alienationis in usufructu, merito & juris dispositio cesset vid. *Const. Elect. 27. p. 1. destn. ix. ibique Carpz.* Quær. an feudum possit in dotem dari? Resp. distingu: Aut enim quæritur (1.) de ipsa filia, & certum est, si ipsa de feudo investita sit, illud marito in dotem dare non prohiberi *c. un. de eo qui sibi vel hered. suis & c. un. de investit.* quia hinc nulla proprie alienatio, cum uxor etiam rerum dotalium domina maneat, ut supra probatum fuit, & dissoluto matrimonio etiam possessio & plenum ius ad eandem redeat. Sed ita demum hæc in dotem datio procedere videtur, si feudum in æstimatum & sine pacto de lucranda dote fuerit datum. Aut (2.) quæritur de Patre vel alio quovis, & hoc casu absque consensu domini feudum in dotem dari non potest *c. 1. §. 1. qualiter ol. pot. feud.* Ratio est, quia non marito tantum, sed & uxori jus aliquod in dote quæsitum est *Dn. Ludwell.* Quod si tamen dos ita constituitur, ut maritus commoditatem fructuum tantum usque ad dotantis mortem perciperet, nihil obstaret, quo minus a patre vel etiam extraneo feudum ita in dotem dari possit.

*Trenth*



Treutl. disp. 7. ch. 4. lit. A. putat posse in dotem dari, si modo ejus natura id patiatur, puta si sit hereditarium, vel dotis datio fiat cum consensu eorum, quorum interest, nimirum agnatorum c. 1. de eo qui sibi vel hered. Bacchoy. ad Treutl. hic. negat feudum posse in dotem dari, quia dotis datio esset quædam alienatio, seu, quia plenissimum jus utendi transferret in maritum, vel quia propter impensas necessarias, jus aliquod in eo maritus sibi vindicare possit, vel quia in dote jus aliquod quæsitum sit filix, & res quasi affecta etiam in casum filix iterum nubentis. Aliud verò obtinet in fœmina, quæ feudum, quod tenet, marito in dotem dare potest. Nam hæc datio vera alienatio non est, cum jus fœminæ maneat integrum juxta l. 30. C. de jur. dot. nec quicquam præjudicii hinc inferitur domino, quia aliàs feudum fœmineum magis à seruitutis solet esse liberum & utique per alium servitia præstari possint. Quær. An Vasallus ex calamitate superveniente, ad serviendum fiat in habilis, feudum amittat? Resp. distingv. Si tempore successionis inhabilis reperitur, & si id natura seu casu contingat, utique removebitur, si dominus, qui feudum duntaxat successoribus habilibus concessit, illum non admittat. Secus si de feudo jam est investitus, & à Domino pro Vasallo agnitus, ex casu superveniente absque sua culpa. Tunc enim feudo non privatur. LandX. lib. 1. art. 4. Quær. an Vasallus servitutem realem feudo imponere possit? Resp. ipsi licere in sui nempe præjudicium, non etiam agnatorum aut domini 2. F. 3. c. 1. §. quid ergo nisi sit judicio servitus feudo Vasalli imposita quoniam hoc modo ipsi etiam nocet domino 2. F. 43. Ratio est, quia Vasallus tantum tempore vitæ suæ dicitur habere jus in feudo, itaque morte Vasalli servitutem constituentis, hoc jure resolutio similiter & illius jus resolvitur, cui hæc servitus constituta est l. 9. §. fin. Locat. Oppon. quòd id non permittatur usufructuario l. 15. §. fin. de Usufr. ergo nec Vasallo? Resp. data disparitatis ratione in uno, in altero facile admittitur. Feudum ad posteros Vasalli transmittitur, non etiam usufructus, unde patet, jus Vasalli plenius esse.

D 2

Oppon.





Oppon. (2.) quod Vasallus conditionem feudi non possit  
deteriorem facere 2. F. 8. §. *ò contrario* 46. in fin. de pactis l. 39.  
de negot. gest. l. 13. §. 4. de usufr. servitutem autem imponendo,  
quin faciat deteriorem clarum est. Resp. ut diximus, servi-  
tutis illius constitutionem non nisi ipsi constituenti nocere,  
non etiam alii. Oppon. (3.) quod servitus perpetua  
causam habere debeat l. 28. de servit. præd. urban. Jam hæc  
non potest dici perpetua, quia tantum durat ad vitam Va-  
salli? Resp. quamvis summo jure constitutio hæc, pro ser-  
vitude haberi nequeat, ex æquitate tamen consistit & d. l. non  
loquitur de causis assiduis & continuis, quæ sine intermissi-  
one fiunt, sed de naturalibus. Quod enim naturaliter fit,  
videtur etiam esse perpetuum, tametsi non fiat assidue, quia  
ipsa natura causa certa & perpetua est. Rectius tamen di-  
cendum, quod servitutes reales à Vasallo feudo imponi ne-  
queant, si nim. de vera & propria servitude sit questio.  
Impropriè verò sumto vocab. *servitutis*, tantum secundum  
constituentis intentionem intelligendum, adeoque de feudi  
quadam concessâ, & per vitam Vasalli tantum durante  
commoditate accipiendum est. Idem sanè obtinere in  
impositione servitutum personalium affirmant DD. Quem-  
admodum enim usufructuarius & quilibet alius possessor  
juris personalis, illud in alium transferre non potest: Ita  
etiam Vasallus alium usufructuarium efficere non potest.  
Cum nihil quippiam feudo magis affine & simile excogitari  
possit, quam dotalitium, quæ *Jure Sax.* potissimum æqui-  
parantur, & pro eodem sumuntur, ut patet ex *Constit. Elect.*  
*rubr. 2. part. 3.* lubet ergo de eo hi pauca adjungere. Quar-  
num & illud sine consensu constituere licitum sit? Resp. de  
*Jure feud.* certum est, domini requiri consensum. Hodie  
verò neque domini, neque agnatorum consensus requiri-  
tur. Et si à vivo marito non constitutum est, illi ipsi post  
mortem mariti ad illud constituendum nihilominus tenen-  
tur. De *Jur. Sax.* heredes feudales ex factò Vasalli obligan-  
tur, quatenus dotalitium intra legitimum & usitatum mo-  
dum



dum fuit constitutum, dosque realiter ab uxore in feudum illata, quia dotalitii constitutio est feudale onus, quod defuncto marito, licet ab eo nunquam fuerit promissum, heredes feudales in feudo constituere jure obligantur, etiam si alia supersint bona hereditaria. Alias vero si legitimum & usitatum modum Vasallus excessit, nequaquam obligantur heredes. Superest adhuc, ut brevibus loquamur de locatione ad longum tempus, an & illa alienationis vocab. intelligatur. Affirmantes proponunt *l. 1. §. 3. de superfic. l. 1. §. 1. si ager vectigalis*, quibus dicitur, quod ei, qui non ad modicum tempus conduxit, actio in rem detur. Ex quo inferendum, quod dominium utile transferit, quoniam nulli alii, quam qui dominium habet, actio in rem conceditur *l. 23. pr. de R. V. §. 3. Instit. de action. Resp. d. l. rationem specialem habet*. Aedificatio enim non recte fit, nisi a Domino *§. 29. Inst. de R. D.* quapropter, cui aedificandi jus conceditur, utendae pro arbitrio areae jus eidem & utile dominium concedi videtur *l. 17. §. 2. de pign. act. l. 3. §. 3. de novi oper. nunt.* Quod attinet allegatam *l. 1. si ager vectig.* resp. loqui legem de agris publicis, ideo ad privatos minus apte extenditur. Velloquitur de conductione in perpetuum, nec unquam finienda, quandiu vectigal solvatur, ut ipsum verbum, *in perpetuum*, denotat. Deinde oppon. quod possessionis translatio hic pro alienatione accipiatur, per locationem autem ad longum tempus transfertur possessio *l. 15. §. 1. qui satisd.* Ergo. Resp. obtinet quidem communi opinione: Verum *d. l. 15.* loquitur de fundo vectigali id est, Emphyteutico, cujus possessor plenius jus habet simplici conductore *l. 1. §. 1. si ager vectig. pet.* Et utique Vasallo permittitur locare ad longum tempus, quia est indistincta legis locutio, nisi sit haec fraudulenta alienatio *2. F. 8. §. 1.* Deinde per hanc locationem neque dominium, neque possessio transfertur *l. 39. Locati l. 20. §. 1. de acquir. vel am. poss.* Verum quin etiam sit species alienationum extra dubium est *vid l. 1. princ. de jure Emphyteut. l. ult. C. de reb. alien. non alien. Carpz. Constit. 37. part. 2. defm. 2.*



capitulum de pignore **XVII.**  
-ob bono iure  
-ed  
Habent deinde quidam potestatem alienandi, etiam si rerum domini non sint, ut est creditor, qui pignus, in quo dominium non habet ex conventionem partium vel legis permissione distrahere, & dominium pignoris in alium transferre potest §. 1. *Inst. quib. alien. lic. l. 46. de A. R. D.* contra regulam *l. 20. princ. d. t.* quod traditio nihil amplius transferre debeat vel possit ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit. Imò rursus alteri idem pignus oppignorari potest *l. 1. §. 2. C. si pign. pign. dat. l. 13. §. 2. de pign. De Jur. Sax.* pignoris constituti oppignoratio sive mobilibus sive immobilibus in rebus etiam extrajudicialis absque insinuatione valida est *Constit. Elect. 23. part. 7. desin. 8. ibiq. Carpz.* Res aliena quidem pignori dari in hunc effectum non potest, ut credatur perfecte esse satisfactum obligationi, tam personali, quam reali, quia non potest agi hypothecaria, contra quemcunque possessorem. Et tamen res pignorata pignori dari potest, ubi tamen hoc juris est: cum res aliena alteri oppignorari perfecte nequeat, illud jus, quod secundo creditori ita constituitur, non diutius durate, quam jus primi creditoris. Si enim huic pecuniam solvat verus dominus, jus creditoris secundi protinus expirat, quia resolutio iure datoris, resolvitur & jus acceptoris *l. 40. §. 2. de pign. act. l. 31. de pign.* Durante autem jure primi creditoris, tueri Prætor debet secundum non modo per retentionem, sed etiam data rei persecutione, utili sc. *Dn. Hahn.* Observandi tamen sunt (4.) casus (1.) quando conventum est inter debitorem & creditorem de vendendo pignore, si intra certum tempus pecunia non solvatur, tunc creditor absque aliqua alia denunciatione illud vendere potest *l. 4. de pign. act. De Jur. Sax.* concessâ facultate vendendi pignoris pacto expresso, dubium vix erit, quin jure illud creditor vendere possit & vendendo dominium transferat *l. 18. l. 8. §. 3. de pign. act.* mora tantummodo debitoris ut interveniat necesse est *Constit. Elect.*



l. 28. part. 1. def. 136. *ibid.*, *Carpz.* (2.) si de vendendo pignore nihil convenerit, creditor jure illud vendere potest, ita tamen ut debitorem compellat ad solvendum, qui si cessaverit biennium, pignus vendere potest *d. l.* Dissentit hic *Dn. Arum.* statuens, etiam ante biennium posse distrahi pignus si de illo nulla pactio apposta sit per *l. 4. de pign. Bronchorst. evaylio Φανών 98.* ait: Si inter debitorem & creditorem nihil convenit de distrahendo pignore, tunc cessante debitore in solutione, postquam creditor semel denuntiaverit debitori venditionem pignoris, statim & sine ulterioris temporis expectatione, pignus distrahere potest *vid. Donell. tract. de pign. c. 12. de distract. pign. De Jur. Sax.* etiam si de pignoris venditione in contractu nihil dictum, vel conventum fuerit, nihilominus tamen, si debitor in mora reperjatur, vendendi jus & facultatem ex ipsa contractus natura creditor habet. Videat tamen creditor ut pignus, bona fide & solenniter distrahat, puta, ne pignus viliori pretio vendat, sed ut venditor in pignore vendendo se gerat, prout paterfamilias diligens in distrahendis rebus suis versari solet *l. 14. de pign. act. d. c. ibid.*, *Carpz.* (3.) quando conventum est, ne alienetur pignus à creditore, non obstante huic pacto, creditor habet potestatem vendendi pignus, tribus nim. denunciationibus præcedentibus, ut debitor solvat (4.) quando creditor non potest reperire emptorem, per Judicem certum tempus debet præfigi debitori, infra quod solvat pignus: quò elapso, creditor à Principe imperare debet, ut dominus pignoris denunciatur. Postea tamen debitori adhuc conceditur biennium, in quo pignus redimere ipsi licet. Hodie autoritas Judicis observatur & (1.) imponitur debitori ut solvat (2.) ad licitationem & subhastationem fit progressus, si nemo inveniatur, tunc ipse creditor pretium licitat, si itidem nullus inveniatur ipsi addicitur, ita tamen ut intra annum possit reluere rem illam debitor.

XVIII.

Ad formam tandem vel requisita Alienationum progressum





gressum facimus, quæ quidem pro diversitate rerum varia sunt. De *Jur. civ* res prius verè alienata vix dicitur, quàm per traditionem, seu possessionis translationem in alterius potestatem pervenerit *l. 20. C. de pact. l. 50. princ. de R. V.* cum nemo eo animo sit, ut prius potestatem amittat, quàm alter eam adeptus sit *l. 18. princ. de vi & vi arm.* Accidit tamen haut rarò, ut hoc de jure traditione opus non sit. Nam (1.) fingitur ea jure intervenisse, interdum etiam quasi traditio sufficit. Deinde quælibet traditio regulariter fit vel post cessionem juris alienandi vel in ipso actu, quando nim. consensus per traditionem perficitur. Irregulariter verò ante consensum *vid. l. 9. §. 5. de A. R. D. l. 62. princ. de Evid. §. 44. Inst. de R. D. l. 77. de R. V.* Denique omnis actus alienandi vel fit inter vivos, vel ultima voluntate. Priori modo interdum traditione opus non est, quoniam tantùm creditur intervenisse, interdum etiam quasi traditio sufficit. Illo modo traditio facta fingitur per retentionem usufructus *l. 28. C. de donat.* hoc verò modo in rebus incorporalibus quasi traditio sufficit, quippè res incorporales de manu in manum tradi nequeunt, sed ejus loco patientia sufficit *l. 1. §. 2. de servit. prad. rustic. & usus hujusmodi juris pro traditione accipiendus est l. ult. de servit. vid. de his latius Schn. ad Inst. de interd. §. 5.* Servitutum enim natura in eo consistit, ut quis patiat, vel non faciat *l. 15. §. 1. de serv. l. 6. §. 2. si serv. vind. l. 3. §. 2. de act. emt;* ubi dicitur sufficere, si caveatur, quoniam vacua traditio possessionis nulla sit. Quæ cautio tamen præcisè necessaria non est *d. l. ult. ff. de servit.* cum promissio ipsa tacitè comprehendat patientiam, utendi à parte prædii servientis & usum à parte dominantis, quæ patientia aliàs vocatur cessio *l. 20. §. 1. ff. de serv. prad. urb. l. 21. ff. de serv. prad. rustic.* quæ nihil aliud quàm concessio servitutis, nec præcisè necessaria, cum usus & patientia sint ejus loco. Posteriori modo per ultimam sc. voluntatem, sufficit sola legibus consentanea voluntas, & huic domino absque traditione ita facta competit rei vindicatio *l. 50. §. 1. ff. de R. V.* ubi translatio facta est in heredem, quamvis possessionem non habeat,



habeat tamen de eo, quod hereditate ei obvenit, rectè agit  
l. 14. ff. de mort. caus. donat. ubi facta translatio mortis causa  
in donatarium vid. l. 29. ff. eod. Requiritur ad id ut res tradatur  
cum titulo l. 3. princ. ff. de A. R. D. Nuda proinde traditio non  
est, quæ fit à vero domino, & eo qui liberam tradendi pote-  
statem habet. De *Jur. Sax* singularis introducta est solenni-  
tas, quia ad dominium transferendum in immobilibus requi-  
ritur judicialis abdicatio & resignatio domini die *Ge-  
richtliche Ubergabe und Auflassung*. De consuetudine ac uti  
immobilia non possunt jure, nisi coram Judice ejus loci alie-  
nari nec oppignorari, & distingv. inter jus civ. & Sax. Illo  
traditione nuda dominia rerum transferuntur l. 20. C. de pact. se-  
cus autem de *Jure Sax*. Et hoc procedit in omnibus quibus-  
cunque alienationibus, venditionibus, pignorationibus  
& similibus. Quod si verò resignatio judicialis non fuerit sub-  
secuta, venditorque possessionem in re vendita judicialiter  
non resignaverit, vel resignare voluerit, tunc plenum domini-  
um penes venditorem manet, & emptor non nisi nudam deten-  
tionem nanciscitur. Nam quæcumque quis per donationem,  
stipulationem, venditionem, dominium rei suæ in alium trans-  
ferre intendit, coram Judice jus suum in accipientem trans-  
ferre debet *Carpz. constit. 11. part. 2. defin. 13* Alii differentiam  
constituunt inter donationem & venditionem, quod in illa  
quidem resignatio judicialis requiratur, non verò in hac. Et  
in venditione resignationem non acquiri certum est, quem-  
admodum & à *Scabinis Lipsiensibus* pronunciatum, nim. do-  
minium in emptorem per naturalem traditionem fuisse transla-  
tum. Addatur, quod si venditor rem venditam simpliciter  
tradiderit, fidemque de pretio non habuerit, tum ipso jure  
hypothecam tacitam habet & in concursu creditorum omni-  
bus aliis creditoribus est præferendus. Secus si venditor fidem  
de pretio habuerit. Hoc enim casu prælationis jure non gau-  
det, nisi ante traditionem, vel in ipso traditionis actu pactum  
pignoris pro residuo pretio adjecerit, tunc venditor omnibus  
creditoribus anterioribus rectè præfertur. Opus est hoc re-  
quisito nim. resignatione judiciali (1.) in donatione bonorū  
immobilium & avitorum. Non quævis tamen nec quocunq;



in iudicio facta insinuatio donationem confirmat in *for. Sax.*  
sed necessario fieri debet coram Iudice illo, ubi bona sita sunt.  
*Carpz. part. 2. Const. Elect. 12. (2.)* In venditione bonorum feuda-  
lium. Si enim quis alteri vendat feudum, emptori jus suum  
cedere, feudique resignationem coram feudi domino facere  
debet. Alias enim emptor neque pro Vasallo agnoscitur, neque  
investiri solet (3.) locum habet in bonis Emphyteuticis &  
censiticis &c. Quoniam *de consuetudine* in terris Sax. horum bo-  
norum alienatio non est firma, nisi fiat cum consensu & appro-  
batione domini. Et ait sæpè citatus *Dn. Carpz.* neminem fugere  
ex observantia *Jur. Sax.* rem quamvis immobilem verè & ef-  
ficaciter alienari, ejusque dominium transferri non posse,  
nisi præcesserit resignatio proprietatis coram Iudice facta, a-  
deoque traditio judicialis sit, necesse est *part. 2. Constit. 38.* Quer.  
quid obtineat in bonis Emphyteuticis & cujusnam consensus  
in eorum alienatione requiratur? Et, resp. *DD.* distingv. Aut e-  
nim dominus directus & à quo prædicta bona recognoscuntur  
jurisdictionem habet, aut non. Priori casu utique consensus  
illius requiritur, posteriori & quando alius jurisdictionem  
habet eo in loco, quo hæc bona sita sunt *de jure civ. ca non ali-*  
*ter, quam cum consensu domini directi alienari possunt. Jure*  
*novissimo Electorali Sax.* utriusque domini tam directi quam ju-  
risdictionis consensus simul & conjunctim requiri & impetra-  
ri debet.

XIX.

Quod si in bonis civitatum alienatio valida esse debet, *Impe-*  
*rador Leo* requirit juxta *l. 3. (de vend. reb. civ. (1.)* ut summa pre-  
tium exinde collata, rursus ad publicam utilitatem impendatur  
ad renovanda seu restauranda forsan mœnia vid *l. 11. C. de ope-*  
*rib. publ. (2.)* ut sine ulla fraude seu nundinatione seu colludione  
seu conniventia ejusmodi venditiones procedant (3.) ut in bo-  
nis civitatis Rom. vendendis, Imperatoris autoritas interve-  
niat. In provinciis verò ad confirmandum hunc actum præsen-  
tia omnium, seu majoris partis, tam curialium, quam hono-  
ratorum & possessorum civitatis, ad quam res pertinent, & ut  
propositis sacro sanctis scripturis, quilibet eorù sententiã suã  
dicat, quòd putet hanc alienationem non nisi patriæ utilem esse.  
Hisce peractis, decretum demum, de validitate alienandæ  
rei



rei illius intervenire oportet. *Hodierno more* hæc jam singula  
relata ad alienationis actum firmiter celebrandum, necessaria  
non sunt. Nam quod *d. l.* dicitur de bonis civitatis Romæ, ut  
non amplius observatur sic & propositis sacro sanctis scripturis  
designatio sententiæ abrogata est, quoniam sufficit, ut admo-  
niti per juramentum, quod civitati ab initio præstiterunt, sen-  
tentiam suam dicant. Et si prædicta observata non fuerint, non  
solum alienatio per se nulla est, sed etiam administratores, si  
negligenter in distrahendis bonis se gesserunt, in simplum te-  
nentur, sin verò per fraudem in duplum *l. 9. §. 4. de adm. rer. ad  
civit. pertin.* nam ex solo neglectu tenentur, non autem ad fortu-  
itos casus. Et per administratores hic intellige ædiles, cu-  
ratores, quæstores, præfectos ærario, quorum officium est,  
ut rationes datorum & acceptorum ponant *l. 2. §. 2. de adm. rer.  
ad civit. pert.* ita tamen ut retractatio erroris calculi admitta-  
tur etiam post decennium *l. 8. d. t.* Item ne pecuniam ad alios  
usus convertant, quàm ad quos destinata est *d. l. & l. 2. §. 2. &  
4. d. t.* Habet etiam civitas beneficium restitutionis in inte-  
grum quamvis omnes solennitates observatæ fuerint, ea verò  
in illo contractu læsa sit *l. 3. C. de jur. Reipubl. l. 1. de offic. ejus qui  
vic. alic.* In donatione inter vivos requiritur *jure civ.* (1.) ut is,  
qui donat, liberam habeat rerum suarum administrationem &  
concessam a lege donandi facultatem (2.) si excedit 500. aureos,  
insinuatio seu scriptura summè necessaria est *l. 36. §. 3. C. de do-  
nat.* Et in donantis arbitrio est positum coram quocunque Ju-  
dice, etiam cui donator non est subiectus, nec res donata sub-  
est fieri *l. 27. l. 30. C. d. t.* (3.) scriptura seu insinuatio non so-  
lum requiritur, si donatio excedens dictam quantitatem fit  
in extraneos, sed & ea quæ fit in personas conjunctas, siqui-  
dem clandestinis & domesticis fraudibus facile quidvis pro  
negotii opportunitate confingi potest, vel id quod vere ge-  
stum est aboleri (4.) donatio facta ad pias causas insinuatione  
indiget *l. 19. C. de SS. Eccles.* Insinuatio nim. propter publicam  
utilitatem est, ne sc. quis re sua abutatur & ut omnis suspicio  
fraudis falsitatisque tollatur *l. 27. C. de donat.* unde nec dona-  
tio Ecclesiæ vel ad pias causas facta ultra 500. solidos absque  
insinuatione valida est. Licet enim magnus sit favor pia-



rum causarum & Ecclesiarum, attamen quia Ecclesia seu cul-  
trix Justitiæ non patitur aliquid contra justitiam fieri in se vel  
in alterum, utique nec illo speciale quicquam circa insinuationem  
admittit (5.) donatio excedens legitimam quantitatem  
absque insinuatione facta, non solum invalida est, sed & is  
qui promittit seu donat ad tradendum nullo modo tenetur. E  
contrario tamen donatio subsistit sine insinuatione facta (1.) si  
donatum fuit propter nuptias (2.) si donatio est remunerato-  
ria (3.) si donatio est reciproca, quia fit ob causam donationis  
reciproca (4.) In donatione mortis causa insinuationem ad-  
hibere operæ pretium non est, modo fiat presentibus quinque  
testibus. Sciendum est etiam, si quidem fuit supra legitimam  
definitionem donatum vel datum, hoc quod superfluum est  
tantummodo non valere, reliquam verò quantitatem, quæ  
intra legitimos terminos constituta est, in suo robore perdurare  
*l. 34. C. de donat.* Utilis enim donatio propter aliam  
inutilem adjectam non vitiatur. *l. 21. §. 1. ff. de do-  
nat. Nov. 162. c. 1. §. 2. l. 94. de R. J.* Et quamvis  
aliàs de *jure civ.* donatio ab infirmo & in adversa valetudine  
constituto facta non vitietur *l. 16. C. de donat.* Aliud tamen dis-  
posuit *Jus Sax. in Weichbild artic. 65.* quod nim. nec mas nec  
fœmina in lecto decumbentes citra consensum heredum, ultra  
valorem quinque solidorum cuiquam donare possint, se-  
cundum *SandR.* tantum, quantum ex sponda alter alteri ma-  
nu porrigere potest *lib. 1. artic. 52.* Sed dispositio hæc juris in-  
desuetudinem abiit, & tam sanos quam ægros hodie in *foro  
Sax.* libere posse donare usus & observantia probat. *Dn. Carpz.  
part. 2. Const. 12. part. ead. Const. 14. l. 42. §. ff. de mort. caus. donat.*  
In donatione mortis causa non sufficit, ut donans in mortis  
periculo constitutus sit, sed necesse est, ut exprimat, se mor-  
tis instinctu & causa donare. Aliàs sine dubio præsumitur do-  
natio inter vivos, nisi forte ex aliis conjecturis & signis eviden-  
ter colligi possit, mortis causa eum donare voluisse. Quem-  
admodum enim sine dubio, ubi mortis mentio facta non est,  
donatio inter vivos præsumitur; sic vice versa quando mortis  
mentio fit, mortis causa donatio esse intelligitur, nisi & hoc  
manifesto de alia donantis voluntate constet. *Quær. an, si do-*



nationi in casum mortis factæ adjiciatur clausula de non re-  
vocanda ea, adhuc donatio mortis causa maneat, an verò in  
donationē inter vivos transeat? Et posterius placet per *l. 27 de  
mort. caus. donat.* Verùm hæc donatio satis aptè adhuc inter  
mortis causa donationes numeratur, nō nomine tenus tantū ut  
*Bacchovig* existimat *ad Treutl. disp. 19. vol. 2. th. 9. lit. A.* sed revera,  
quia mortis intuitu & cogitatione nihilominus facta est, nō ob-  
*d. l. 27.* quia de effecta potius causa mortis donationis quàm  
essentia loquitur, cū expressè legatur, quod non valeat in-  
ter virum & uxorem, nec Falcidiam in ea locum habere, nec  
revocari posse. Quær. an in donatione mortis causa requiratur  
præsentia donatarii? Affirm. per *l. 38. ff. de donat. mort. caus.* Si  
enim fit per stipulationem, necessaria est præsentia, quia absens  
stipulari non potest *l. 1. princ. ff. de V. O.* Si verò per traditio-  
nem fiat, per æquè præsentia requiritur, vel donatarii cui tra-  
ditur res, vel alterius cujusdam, qui vice & nomine illius re-  
cipiat. Quando enim nullum negotium geritur, hoc casu in-  
ter præsentes, vel aliam personam interpositam, tunc non cau-  
sa mortis donatio, sed legatum esse censetur *Schn. Bacchov.* di-  
cit non simpliciter quærendum esse, an in absentem conferri  
possit hæc donatio, sed simul an in absentem & ignorantem, &  
hoc modo negat, quoniam si ignorantem fieret, nihil superesset,  
quò à legatis mortis causa donatio distingueretur. Juxta sen-  
tentiam *DD.* existimantium, donationem mortis causa nudo  
etiam pacto fieri posse, absenti quidem fieri concedunt, sed  
non ignorantem. Et non pauci sunt qui agnoscunt etiã donationē  
mortis causa collatam in ignorantem. Verùm qui id faciunt,  
distingunt inter hanc & legatum, vel planè non, vel vix. Addo  
tandem, quod si firma debet esse donatio mortis causa, requi-  
ritur (1.) ut donans habeat testamēti factionē activam, donata-  
rius verò passivam *l. 9. l. 25. ff. de donat. mort. caus.* (2.) ut adda-  
tur causa (3.) ut præsentes sint ambo *l. 38. d. r.* (4.) ut interveniāt  
quinque testes. *Schn. d. l.*

XX.

Introducæ verò donationes præcipuè hunc sunt in finem,  
ut mulieribus magis cautum & prospectum sit de dote. Quan-  
do enim maritus consumsit dotem, factum est ut habeat mu-  
lier unde damnum acceptum resarciat. Deinde si maritus a-

E 3

du 1





dulterium omittit, uxor agit ut lucretur donationem propter nuptias, & vice versa maritus (3.) si maritus ad inopiam deducatur, etiam constante matrimonio uxor a creditoribus mariti rem dotalem vindicare potest, ut & donationem propter nuptias *l. 19. C. de iur. dot.* Ne prolixior sim in hac materia pertractanda, paucis nonnullos effectus alienationis tam concessæ quam prohibitæ adjiciam. Posterioris generis alienatio nullitatem inducit, & fiscus donatariis ut indignis auferit hereditatem *l. 30. ff. de donat. l. 29. §. 2. d. t.* De illo, cum heres adeundo hereditatem succedat in omne ius, quod defunctus habuit *l. 62. de R. 7.* clarum est, quemadmodum jus rerum duplex, ad personam sc. vel rem & in re & prius hoc tam activè quam passivè consideretur, ita & actiones tam activè quam passivè in eundem transire. Actiones activas, seu jura in re alienare potest *tot. tit. de hered. vel act. vend. ff. & C.* secus verò in actionibus passivis, quia nihilominus venditor manet obligatus heres, tam creditoribus quam legatariis. Et quamvis debitores inter se paciscantur, creditori tamen nihil deperit, quia debitorum pactio creditorum petitio neque tollitur neque mutatur *l. 25. C. de pact.* Et alterius conditione, uti constat, licet meliorem facere, deteriore verò non *l. 39. ff. de negot. l. 2. qui vi aut. clam.* Efficit insuper donatio, ut morte infecuta rata maneat, utpote impleta donationis conditione, non autem infecuta morte resolvatur. Sed si prius decedat donatarius quam donator, deficit ac evanescit donatio, exemplo legatorum. Resoluta ergo hoc modo donatio, utilis ad rem, vel conditio personalis ad res repetendas datur *Wesemb.* Quær. an hereditate vendita, jus quoque accrescendi venditum intelligatur, & an illud venditor ad emptorem transtulerit? Negat *Trent. vol. 1. disp. 23. Ibiq. Baccov* ita distinguit, & hoc modo questionem proponendam esse ait: An ipso jure & recte accrescat emptori, an venditor, quod accrevit ipsi præstari emptori teneatur. Et utrumque negat. Alii negantes opponunt, quia jus universale hereditatis in emptorem non transeat, sed solummodo res hereditariæ corporales vel incorporales, juxta *l. 2. ff. de hered. vend.* sed apud heredem permaneat, quia semel heres factus est. Apud quem igitur totum reperitur, apud e-

nu-



eudem etiam singula ejus partes, & per consequens vacua portio venditori, non emtori accrescit. Contra quam sententiam insurgit *Dn. Arum.* & affirmat jus accrescendi hereditate vendita ad emtorem transire, quia hereditas sit jus universale *l. 62. de R. J.* ergo hereditate vendita semper jus venditum intelligeretur, quod penes heredem futurum esset, si ea vendita non fuisset, (2.) pars hereditatis non personæ sed portioni instar alluvionis accrescit *l. 33. §. 1. in fin. ff. de Usufr.* (3.) quia vicem heredis obtinet, proindeq; ad eum pertinet non tantum id, quod tempore venditionis provenit, sed & id, quod aliquando perventurum est *l. 2. §. 4. h. r.* Non obstat, quod dicitur, qui semel heres est non desinit esse heres *l. 7. §. 10. ff. de min.* quia tantum nomen, sine ullius commodi effectu penes eum manet. Oppon. (2.) quod qui hereditatem vendidit, adhuc eam possidere intelligatur *l. 4. §. 3. si quis omiss. caus. test.* respond. verb. *videri, possidere* secundum subjectam materiam intelligenda sunt (3.) oppon. quod jus accrescendi in contractibus non obtineat, *Carpz. part. 3. Constit. 2.* Resp. in hoc casu emtorem non ex contractu, sed ultima voluntate defuncti habere. Alii distinguunt ratione temporis, an nim. heres hereditatem vendiderit, postquam ejus possessionem esset nactus, an verò antequam eam adeptus esset, & existimant hoc casu, non autè illo jus accrescendi transire ad emtorem hereditatis &c. quòd si decedens donator ab intestato non disposuit de bonis reservatis portio reservata non accrescit donatario, sed ad heredes ab intestato venientes transmittitur, cum ille, qui non facit testamentum, videatur vocare venientes ab intestato *l. 3. princ. de jure codicill.* Tandem quid de jure feudali, in illicito alienationis actu celebrato obtineat, diximus *thes. 16. de jure Saxon.* Vasallus feudo privatur, ob non adhibitum domini consensum in ejusd. alienatione. Et si dominus resignationi consenserit, res expedita est & cessat privatio. Sin minus, nec tum privatio obtinebit, quia dissentiente illo facta alienatio pro non facta habebitur, & poenam aliam non merebitur factum hoc, quam actus annullationem. Evenit tamen haut raro, ut quis feudo suo propter alienationem priveretur, si tam imprudenter rem gerat, ut statim omne jus feudi, nullo penitus reservato



in emptorem transferat, & in ea nec resignationis nec feudi  
**Lehn** mentionem faciat, neque eam de necessitate requiri  
existimet, multominus coram domino facere cogitet *Carpz.*  
*const. 49. part. 2.* Ultimo poenam alienationis illicitæ in Em-  
phyteusi, propositam habemus in *l. ult. C. de jur. Emphyt. in fin-*  
*quando Imperator ait: sin autem aliter fuerit versatus, quàm nostra*  
*constitutio disposuit jure Emphyt. cadat.* Ex quibus facile colligen-  
dum, nisi poenã dictatã incurrat Emphyteuta omnib9 omninò  
alienationibus abstinere, necesse eum habere. Etiam si Emphy-  
teuta prædium Emphyteuticum vendiderit, si tamen ad trans-  
lationem realem, nondum processerit, nec dominium trans-  
tulerit, jure suo non privari placet. Alienatum enim non re-  
ctè dicitur, quod adhuc manet in dominio venditoris, vendi-  
tum tamen rectè dicitur *l. 67. ff. de V. S. De jure Sax. vix datur*  
*casus, ubi alienatio sine consensu domini admittatur ut dixi-*  
*mus ib. 18.* Si enim dominus directus resignationem fieri pa-  
titur & sic traditionem Emphyteuseos judicialiter confirmet,  
hæc alienatio invito domino, minimè procedit. Quær. an  
Emphyteuta si per triennii spatium non solvat pretium jure  
suo privetur? Affirm. per *l. 2. C. de jure Emphyt. quã dicitur, nisi*  
*solverit per triennium, dominum facultatem habere repellendi*  
*eum.* Attamen id semper verum non est cum *d. l. plures pa-*  
*tiatur restrictiones Carpz. part. 2. Const. 28.* Competit tamen  
domino directo adversus Emphyteutam ob non solum rei  
vindictio, & ita de privatione agendi Emphyteuseos. Imò  
etiam hypothecaria ei competit actio, propter dominii utilis  
translationem, ex qua ipse etiam Emphyteuta utili actione in  
rem adversus dominum experiri potest *l. 1. §. ult. ff. de s-*  
*ger vectig. pec. l. 16. §. 2. de pign. act. l. 77. ff. de R. V.* Hæc  
in presentiarum sufficient.

SOLI DEO GLORIA.



**N**unc juve nescit humus, Sole impræ-  
gnante recentes  
Exposuit foetus; præstanti prolicite  
ausû  
Ilithyia Themis fructus, quos sidere fausto  
Mens tua concepit. Cupidus modò fortiter  
insta  
Eodem ardore, Tibi netam bombyce Tia-  
ram  
Spondet nostra Themis, sic pensatura labo-  
res.

*Per - eximio Dn. Respond.*

*Autori amice grat.*

Johann - Volk. Bechman D.  
& Præses.

---

**Q**uid non expugnat solidus labor? omnia vincit  
Exemplo id monstras, civis amice, tuo.  
In cathedra dubios dum gaudes solvere nodos,  
Quos jam proponit docta cæterva Tibi.  
Gratulor ex animo, votumq; ad sidera mitto,  
Ut labor hic PATRIÆ commoda multa ferat.  
Pergere perge viam; sic itur ad astra. Corollam  
Diva Themista parat. Pergere perge viam.

Ita  
Pereximio Dn. Autori voce  
P. G.

**F I N I S.**









01 A 6531


ULB Halle 3  
002 937 506



12  
W 17











21. 19

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE ALIE-  
NANDI,**

Quam  
*DEO feliciter adsistente*  
Consensu Magnifici Jctorum Ordinis  
IN ILLUSTRISALANA,  
PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo*  
DN.

**JOHAN. VOLK. Bechman /**  
J. U. D. Excellentissimo & Prof. Publ.  
Extraordinario meritissimo atque  
Celeberrimo,

*Dn. Patrono, Promotore atque Praeceptore suo  
atatem devenerando*

Publico examini exhibet  
**JOHANNES KNAUER, NUMBURGO**  
THUR. AUTOR.

*Ad diem Maji.*  
H. L. Q. C.

---

JENÆ  
*Literis Caspari Freyschmidii, Anno M. DC LIX.*

